



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

X. De quotidianis distributionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO CHRISTI
1517. quindecim dies , sine speciali petita licentia & obtenta ab ordinario loci vel eius vicario , ipso ordinario extra ciuitatem agente , ipso iure sint priuati beneficiis omnibus quæ in nostra prouincia obtinent , nisi per superiorem super iis fuerit cum eisdem misericorditer dispensatum.

R V B R I C A X.

Quia parum est iura condere , nisi executioni debitæ demandentur , & per bonæ memoriae fratre Bonifacium prædecessorem nostrum , in Concilio per ipsum Forliuii celebrato , inter cetera statutum extiterit , quod vbi statutæ non essent in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis quotidianæ distributiones , in Synodis proxime faciendis per singulos suffraganeos Rauennatis ecclesiæ proinde statuerentur , vt per hoc ipsis ecclesiis singulis horis in diuinis melius seruiretur : & attendentes patres coepiscopos nostros in executione constitutionis prædictæ vt plurimum hucusque negligentes fuisse ; volentes igitur dictam constitutionem tamquam rationabilem executioni debitæ demandare , hoc sacro approbante Concilio statuimus & ordinamus , quod quilibet suffraganeorum nostrorum sub pœna inobedientiæ teneatur sic prouidere , quod in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis dictæ quotidianæ distributiones fiant , & mensa communis deputetur : vel vbi dictæ distributiones seu mensa commode ordinari non possent , sic per eosdem ordinarios prouideatur , quod decenter & deuote in diuinis officiis ecclesiis ipsis deseruiatur : vt sic cultus diuinus non minuatur , sed

Concil. Tom. 29.

F ij

potius, vt cupimus, augeatur. Si quis autem suffraganeorum prædicta non obseruauerit, pœnam statutam contra transgressores Canonum poterit formidare, & nihilo minus in sequenti Concilio duius increpetur.

RVBRICA XI.

Cum imponendis & exigendis collectis talis modus & diuisio debeat obseruari, vt nulla ecclesia, seu ecclesiastica persona se indebite prægrauari ex iis rationabiliter conqueri possit; ac saepe contingat dominos suffraganeos ecclesiæ Rauennatis debere Rauennatem ecclesiam visitare pro festiuitatibus sanctorum martyrum Apollinaris, Vitalis, vel aliis ex causis in prouincia emergentibus a nobis euocari; quos non oportet, pro factis prouinciæ, propriis stipendiis militare: volentes hoc adhibere remedium opportunum, statuimus & ordinamus, hoc sacro approbante Concilio, quod quilibet episcopus nostræ prouinciæ in ciuitate & diœcesi sua, & de consensu cleri ad hoc specialiter conuocati, personas sufficientes & idoneas deputet & ordinet infra tres menses a publicatione præsentis constitutionis, quo omnes redditus & prouentus ecclesiarum omnium, monasteriorum & aliorum locorum religiosorum, cuiuscumque status vel conditionis existant, discutiant & examinent diligenter, & describant seu describi faciant per publicum notarium, iustum æstimationem & debitam vnicuique ecclesiæ imponentes: & hoc in monasteriis, prioratibus, ecclesiis seu locis ecclesiasticis aliis, vbi a decem annis citra non est fa-